

256
SYNCRETISMUM SABBATHICUM

QUEM

ANONYMUS QUIDAM

INFELICIBUS AUSPICIIIS

IVERAT STABILITUM

SIMUL JUSTO CALCULO NOTAT,

ET

CONJUGI QUONDAM DULCISSIMÆ,

NUNC INTER DIVOS RECEPTÆ,

VIRI

MAXIME REVERENDI

DNI. JOH. HIERONYMI

DE WEDIG,

SS. Theol. Licentiati, & Mar. Ædis, quæ

VVittebergæ est, Archi-Diaconi,

DE VERO SABBATHISMO

GRATULATUR

VIDUUMQUE DE NUMINIS

BENIGNITATE SECURUM

ESSE JUBET

EX AMICITIÆ LEGE

MARTINUS CHLADENIUS,

SS. Theologiæ Licentiatus, Ecclesiæ Jessenensis Pastor, & e
spectantium Superintendens.

WITTEMBERGÆ,

LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

Coll. diss. A
156, 48

24. A. 156 (48.)

77.



IX crediderim, Vir omnibus quæ amor flagi-
tat ac format, nominibus mihi compellande,
TE mihi versurum esse vitio, quod post-
quam his diebus societatem lacrymarum
Tecum iniveram (quis enim amicorum ad
funus Tuum tam flebile sibi temperet?)
nunc Te mecum quodammodo colligam, &

velut per diverticula animum Tuum exulceratum non tam ex-
asperem magis, quam demulceam ac componam. Non fugere

TE potest, Tuoque comprobas exemplo, quantum solatii fide-
lis inter reliqua eo in argumento repositum sit, cum beatos
nostros diem quidem obiisse supremum meminimus, verum si-
mul eos æterna frui quiete inter cœlites ac Sabbatha agere nul-
lis seculorum spatiis finienda; eo quod vera constantique fide
eum fuerint amplexi, qui ista nobis otia fecit, & gloriam tantam
promereri nobis haud fuit gravatus. Neque tamen hæc spes de
salute nostrorum, verbo DEI tam firmiter innixa in posterum
nobis remansura est integra & illibata: postquam ex obscuro
velut antro personare cœpit portentosum dogma: Neminem
olim æterna celebraturum Sabbatha, nisi qui in hoc mundo,
Sabbatha eo, quo Deus per Mosen præcepisset, modo ac dierum
discrimine ordineque, festo ritu egisset: per quod *ἀνισμα* dubi-
tare de sua suorumque salute unumquemque oportebit.

Postquam enim ex inani contendendi libidine nonnullorum, qui
non contenti forma ac disciplina præsentis Ecclesiæ nostræ, loco
justæ emendationis, si qua opus foret, somnia ac ideam Ecclesiæ
cujusdam Platonice animo sibi effingunt, sursum deorsumque
tam bene ordinata miscent, de præcipuis dubitant ac dubitare
permittunt, hancque credendi sentiendique licentiam sibi quam
egregie gratulantur: non modo reliquæ fidei nostræ partes ag-
gressoribus patuerunt, verum etiam doctrina de Christianorum
Sabbatho vellicata, traducta & a quibusdam velut per Satyram
impugnata est. Non poterat in oculis auribusque male sentien-
tium doctrina salubris ferri ac tolerari, qua Ecclesiæ nostræ in
hoc

hoc argumento ceremoniam a morali legis divinæ accurate se-
 parandam distingvendamque censuerunt : Illam enim circum-
 scribere Judæis tempus, hoc vero cultum omnibus hominibus
 non tempore præcise ac die sed sanctimonia definire: Scidit proin-
 de se in partes Hydra veritati obviam itura, alteraque pars professa
 est, nihil moralitatis (hæ enim voces explanationis causa adhiben-
 dæ) præcepto Numinis de celebrando Sabbatho contineri : Sed
 nudam docere ceremoniam Judæis inculcatam : Sabbathum
 Christianis solum dari internum, si externum Magistratui arri-
 ferit, pro arbitrio instituendum mutandumve. Altera nos ad
 Judæorum castra ablegavit, illorumque Sabbatha communia
 esse : Septimumque cum illis diem sancte habendum veneran-
 dumque præcepit : abrogandum dominicum diem, velut ab
 hominibus, non DEO, institutum & inauguratum. Tertia tan-
 dem se his aggregavit cohors litem omnem compositura : quæ
 res omnino velut per cuniculos aggredienda : Uno verbo ut
 exprimam, Syncretismo quodam res optime videbatur iis posse
definiri; quo neutri male sentientium, nec doctrinæ nostræ o-
 mnia abjudicarentur. Interim tamen veritati re ipsa maximum
 vulnus est inflictum. Sparsum enim est dogma publico scripto :
 Dari aliquid debere Christianorum genti : (parum tamen, & si
 dicam quod res est, pene nihil) ferendumque, ut in memoriam
resurgentis Jesu dies dominica palam celebretur, ritu quo hacte-
 nus sumus feriati : Sed & idcirco nihil imminuendum esse de
 Sabbatho Judaico, quod Deus ipse non tanquam ceremoniam,
 sed legem moralem perpetuo ac immobili ratione valentem fan-
 xerit, diemque Septimum, prout Judæi etiamnum celebrent, o-
 mnino sanctissime venerandam jusserit : rectumque hos trami-
 tem ingredi, qui hodie in hebdomadis serie non Septimum mo-
 do diem, sed sequentem etiam primum, vacatione omni ab ope-
 ris consuetis consumant, ac sic legibus divinis obsequium præ-
 stent. Prodiit liber hujus sententiæ sine loco & auctoris nomine
 Anno M DCCV. Mense Februario : Kurze Vorstellung der
Gründe und sonderbare Schickung Gottes / welche eine ge-
wisse Person / weltlichen/ aber vornehmen edlen Standes anz-
getrie-

):(2 getrie

getrieben / wie auch andre fromme Christen bewogen / nicht allein
den täglichen Herzens-Sabbath / und von den Kirchen verord-
neten Sonntag / sondern auch / und vornehmlich den von Gott
bey der Schöpfung gesegneten / geheiligten / und zu heiligen ge-
bothenen siebenden Tag / als den grossen heiligen Sabbath des
Herren / wie die ersten Christen 300 Jahr nach Christo ges-
than / öffentlich / doch in Evangelischer Christlicher Freyheit zu
fehern.

Non mihi animi est hanc compagem monstrosi corporis, qua
multi errores coalescunt in unum, & male tamen confarcinantur,
operose nunc disjicere, quæ facile in se corrui ipsa, postquam hæc
doctrina ab aliis solidissime est diducta, & ab omni errorum im-
petu animo intrepido vindicata, ac, si quid dubii superest, expediri
haud ullo negotio potest: Suffecerit mihi velut in tabella, quid
reconditi scriptum in se habeat, quo ceu Giganteo ausu Pelion
Ossæ incumbere iussit Auctor, oculis Tuis exhibere. Profitetur
ante omnia, se mirabili ratione ad agnitionem veritatis de Sab-
batho pervenisse, nec adeo obscure illuminationi extra ordinem
factæ tribuit, quod nunc demum agnoscat Sabbatho duplici rem
sacram Christianis peragendam esse, quod nimirum hæctenus
cætus tot millies mille Christianorum prorsus ignoraverit. Per-
git deinceps, Christum nunquam ceremoniam tertii præcepti
abolevisse, nempe diem definitum Septimum, qui potius morale
quam ceremonia dicendus sit: Christianos per tercentum annos
in Ecclesia primitiva duplex Sabbathum in hebdomade uno con-
filio animoque celebravisse: diem nimirum Dominicam, & præ-
cedentem, quam Saturni vocamus. Iis in iudicio extremo horri-
dam ac tremendam sententiam esse expectandam, qui tot animas
hæctenus seduxerint, perversa de Sabbatho Judæorum abolito do-
ctrina: peccari adeo in Spiritum Sanctum, nisi credatur, Christia-
nos etiam ad septimum diem, eumque definitum, colendum obli-
gari: Non excusabilem esse errorem, si dicatur, tertium præce-
ptum & ceremoniæ quid & morum continere, quæque inter se,
ut nos docemus, veniant distinguenda. Nullum in novo fœdere
locum dari, quo Sabbathum Judæorum cessare iustum sit; neque

id

id loca a nostris ex Pauli epistolis allegata evincere. Sabbathi prisci abolitionem ab impiis Pontificibus ortum cepisse: fœdus tam improbo instituto inter credentes Judæos & gentiles disruptum esse: (quæ ex Arnoldi Historia Hæresium se didicisse non diffitetur) Quod intra quatuordecim seculorum spatium tot Judæi non ad Christianorum disciplinam sint perducti, quot in primordiis Ecclesiæ una die interdum, solam causam intervenisse, quod Sabbathum non simul utraque pars continuaverit. Omnes pœnas, publicas ac privatas calamitates, regnorum & provinciarum tristissimas ac lugubres everfiones non tam profanationi diei Dominicæ, quam intermissione Sabbathi Judaici acceptas ferendas. Integrum tertium præceptum abolitum & abrogatum inter nos fuisse, antiquato & deleto vero Sabbatho diei septimæ. Servatorem nostrum ipsummet Sabbathum definite colendum expresfius, quam unquam antea factum fuerit, injunxisse & demandasse Christianis. Benedictionem omnem tum corporis, tum animæ in solo hujus diei septimæ cultu recumbere ac niti. Eos, qui ex libertate diem primum pro septimo colant, non aliter pejusque cum præceptis DEI quam ethnicos agere. Non posse se credere diem Dominicum esse diem a DEO benedictum ac sanctificatum: legem moralem hic nihil complecti, quod sit legis naturalis, & hujus generis alia multa.

Hoc indignissimum inter reliqua mihi visum est, quod Sabbathismum, quem maximus gentium Doctor *Hebr. IV, 3. seq.* fidelibus tam liberaliter pollicetur ac prænunciat (p. 75.) ad Sabbathum in his terris celebrandum detorquet: magnam adhuc superesse litem, necdum rem esse confectam, qualis quies loco alato veniat intelligenda: dignissimumque creditu pronunciat, Spirituale cordis animæque Sabbathum innui, quo filii DEI in hoc adhuc mundo viventes fruantur, idque levicula ratione probat: Nec tamen in hoc subsistit, sed omnia, quæ tot ambagibus disseruerat, velut fidiculis quibusdam ad Sabbathum suum pertrahit, nec erubescit docere *κατάπανσι* æternam eos non expectare, qui septimum diem a Deo videlicet ipso accurate definitum non sint feriati: ut adeo per illius sententiam omnes illi, qui verus

Sabbathum istud, vel studio libertatis evangelicæ, vel etiam inter Judæos quondam ipsos ex ignorantia (quæ dari potuit) non celebraverunt, omni benedictione ac demum Sabbathismo æterno veniant excludendi. Quantumlibet itaque auctor contestetur, se nolle homines ad novum cultum ac religionem pellicere ac turbare, neque se ideo, quod hæctenus dictas opiniones animo recondat aut publico prodiderit, in Judæorum castra transire: aliter se enim cum suis Sabbathum Judaicum quam Judæos, celebrare, multumque discriminis adhuc inter utrosque superesse: concedat, & speciose quidem, utraque manu largiatur, diem Dominicum Christianis oppido habendum venerabilem sanctumque: certe argumenta, quæ pro honore hujus sanctissimæ diei faciunt, per latus acerrime impugnat, & frigidissime de illo tanquam festo secundario, & ab hominibus instituto, existimat. Sufficere sibi, prima fronte testatur, si cum suis tranquille die simul septimo liceat uti: nec se ideo alios ad hanc feriandi consuetudinem permovere, aut necessitatem aliquam velle injungere: sub finem tamen libelli votum ex imo pectore depromit, ut Deus omnibus remuneretur, qui huic suæ veritati, omnibusque illius sectatoribus præsidio auxilioque sint subventuri, ipsumque hujus prurientis novitatis statorem secuturi: hinc inde vero terribiles conscientiæ angustias, infernales diras, vindictam Dei, quam ipse cum suis jamjam senserit, antequam veritati fuerint adstipulati, velut fulmina armata manu vibrat, omnibusque denunciat, qui manus victas herbamque nolint porrigere.

Quantam hæc colluvies errorum ac sentina perniciem libertati Christianæ aperte moliatur, quam tamen Optimus Salutis nostræ auctor cruore suo tam studiose firmavit, stabilivitque, reputanti, non potest non animo obversari nonnunquam, annon in eos homines inciderimus, *παρεστάτους ψευδαδέλφους, οἱτινες παρεισήλθον κατασκοπήσασα τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν χριστῷ ἰησοῦ, ἵνα ἡμᾶς καταδολώσωσιν*, & quæ reliqua sequuntur Gal. II. 4. O si, qui isthæc scripsit, diutius (quod antea se fecisse memorat) & nonnum adhuc in annum ex Poetæ consilio premi jusfisset librum

brum tam' inauspicato calamo formatum! quantum non ad nobilitatis famam modo, qua ante alios per nos eminere poterat, verum præcipue ad conscientia, ex ipsius testimonio admodum turbata, minusque adhuc pacata, tranquillitatem contulisset: ac, si qui animo inhæfissent scrupuli, non pro veritate cœlesti eos publice venditasset, sed Theologis Ecclesiæ nostræ iudicio subactō, usuque rerum instructis & pro gloria Numinis strenue militantibus ad normam Scripturæ expediendos eximendosque proposuisset: credo nihil, quod ambigeret, superfuturum, nec eum postea ad lacunas quisquillasque errorum avidè exhaustiendas properaturum fuisse. Nunc ubi in tanta Evangelii luce, quæ meridiem ipsam superat, coecutiunt multi, & extricari ex tam foedis nonnunquam opinionibus nolunt, quæ, quæso, calamitas major intelligentibus oboriri possit, disciplinam omnem, vinculumque fidei, prorsus, si daretur, laxatura? Enimvero si recte rem perpendas, hæc tandem non Ecclesiam veram sub præsidio Numinis ipso orco superiorem ac mundo superfuturam, sed ipsos illos feriet, qui prisco novaturientium more, ima superis permutari, omniaque ad genium suum multiformem, secum ipso non constantem, sui que semper dissimillimum refingi cupiunt ac efformari, si quis obstiterit violentis ausibus, exitium æternum Deique iram severa ac dictatoria sententia comminantur.

Dum hæc ad TE dissero, venit mihi iterum in mentem desideratissima Tua, quam a tenerrima adolescentia, & in contubernio Tuo, non fucata quædam aut suspecta pietas, sed verus ac solidus DEI timor, vitæque sanctimonia, singularis modestia ac demissio sui, studium precandi Numen, laudandique indefessum, in utraque fortuna moderatio summa, rei familiaris prudentissima circumspectio, mariti amor nunquam ruptus aut interceptus, undecim liberorum partus, & superstitum felix educatio, pene incomparabilem fecerant. Omitto formæ decorem, vigorem oculorum, suavitatem oris, & quæ alia ab isto sexu in Eam divinitus confluxerant, & cum animi pulchritudine conjuncta non Junonem aliquam elatam, sed Palladem, nec tamen innu-

innu-



innuptam, aut si sacram mavis, Sarai aliquam ad omnium virtutum exemplar formaverant, quæ ad ornandam illam mirabili consensione conspirabant. Quali TE solatio bonis his omnibus nunc carentem præclarius queam sustentare, quam si Tibi Beatam illam, non quam egregia fuerit, sed facta potius sit, ob oculos ponam? Universa vita illi vel Tuimet ipsius suffragio labor fuit ac molestia: tanto enim opere vel postremo partu defuncta, quanto robustissimus mortalium vix sufficeret labore, quo nihil durius acerbiusque cogitari potest, quique omnem doloris sensum velut in compendio complectitur; Quid itaque miraris eam tantopere quietis ac pacis inter spes seculi dubias ambiguasque fuisse appetentem? An invidebis obtinuisse, quod Tu illi optimum præstantissimumque potuisti ab immortali Numine precari, Sabbathum nimirum æternum, & nulla cum perturbatione aut curis celebrandum. Quid obesse illi potuit, quod non ad morem novatorum Judæorum Sabbathum coluit, sed Salvatoris sui memoriam Dominico die venerandam æstimavit, imo singulos dies cum religione ac reverentia DEI consumsit? Triumphat illa omnino de isto errorum pelago, & Christianos beatos esse etiam sine Judæorum Sabbatho opere ipso contestatur. Præclaram illam animam, quæ DEO verboque ejus, dum in terris agebat, ante omnia delectata est, quæque post illum vitæ ac salutis auctorem TE maritum liberosque unice dilexit, totiesque inter mille molestias curas Tuas absorpsit, & animum a muneris fatigatione defessum mire delinivit: animam, inquam, inter cœlites receptam, quæ putas agere Sabbathum, festosque dies absque invidia & æmulatione omni, a qua vel innocentissimus cultus vix permanet immunis?

Tuo vero, Vir Amicissime, vulneri Numen ipsum medellam adhibeat, & qui nunquam mollis & enervati, sed virilis & in omnes casus firmati animi fuisti, hoc Tibi semper robur fervet ac tueatur, curasque Tuas, operam ac vigilias in Ecclesiæ literarumque emolumentum susceptas, pulcherrimis porro incrementis & successibus provehat, ac tandem remuneretur!

Dabam Jessenæ Saxonum IV. Eid. Junii. A. O. R.

M DCC VII.

Coll. Miss. A 156, 48